

- 43 Clericus vi hujus privilegii non eximitur ab obligatione ſolvendi debita; ſed ne excommunicari queat.
- 44 Ultimum remedium executionis in Curia Eccleſiaſtica eſt excommunicatio.



Uemadmodum Leges in Republica nullius ſunt utilitatis ſi earum non habeatur executio, ita & ſententia inutilis & ſine effectu erit, ſi non obtineatur ejuſdem executio. Non eſt quidem ab executione incipiendum; ſed ſententia præcedere debet, executio ſequi. *L. 1. Cod. De Executione rei jud.*

II. Verum jam pridem apud Romanos receptum fuit, humanitatis cauſa, ut non protinus ad actionem, executionemq; ejuſ quod iudicatum erat, progredi liceret; ſed ſpatium aliquod condemnatis indultum fuit, intra quod iudicatum ſatisfacere poſſent.

III. Et quidem cum circa hoc tempus ſæpius variatum fuiſſet, tandem Imperator Juſtinianus quatuor meſes condemnatis dedit ad ſolutionem pecuniariam; eaſque à die condemnationis, vel ſi provocatio fuerit porrecta à die confirmationis ſententiæ connumerandos. *L. penult. & ſin. Cod. de Uſuris rei jud.* declaratq; in dicta Lege finali quadrimeſtres inducias, quas dedit condemnatis, etiam ad fidejuſſores eorum & mandatores extendi. *ne Legi fiat derogatum.*

IV. Eaſdem inducias obſervandas eſſe declarat Pontifex in *Cap. 26. De Officio Jud. Deleg.* ſupponitq; Pontifex in *Cap. 15. De Senſ. & Re jud.* unâ tamen declarans hoc ſpatium quadrimeſtre poſſe nonnumquam à Judice arctari vel prolongari.

V. Hinc forſan tandem invaluit, ut in nonnullis Curiaſ, induciis illis legalibus abrogatis, nullum tempus ſit præſcriptum, quo executio ſententiæ differri debeat; ſed mox executio ejuſ fieri queat, niſi Jdex ſententiæ executionem ad quadrimeſtre, aut etiam diutius, ex certa aut rationabili cauſa prorogare vellet; quemadmodum de Flandria Concilio, & Parlamento Mechlinienſi teſtatur Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. c. 256.*

Dicit quoq; Zypæus in *Notitia Juris Belgici tit. De Executione rei jud.* „Executio hodie ad quadrimeſtre, aut aliud certum juris ſpatium non differtur. „Similiter Gudelinus *De Jure noſtr. lib. 4. c. 16 n. 6. ait.* „Moribus multorum tribunali nullum tempus certum, quo differatur executio, comparatum eſt, ſed totum arbitrio Magiſtratus relictum.

VI. De eodem uſu teſtatur Merula in *Praxi Curia Holland. lib. 4. tit. 93. c. 7.* addit tamen, quod conveniat, ut Victor partim ex humanitate, partim ex neceſſitate differat executionem ad 2. aut 3. hebdomadas à lata ſententia, quod eſt tempus intra quod condemnatus adhuc appellare poſſet: „2. deo ut apud nos (ait) locum magis habeant 30. dies, quos condemnatis largiuntur Leges 12. tabularum, quàm bi-meſtre ex *L. 2. Cod. Theod. De Uſuris rei jud.* vel quadrimeſtre ex Conſtitutione Juſtiniani.

Ex Ordinationibus Curia Brabantia dantur condemnato 12. dies poſt ſententiæ inſinuationem *art. 641.* Vide Chriſtinæum ad Bugnyonium *De Leg. Abrog. lib. 1. c. 148.* ubi unâ annotat, quæ tempora in aliis tribunalibus ſunt aſſignata.

VII. In Ordinationibus Curiarum Eccleſiaſt. Provincia Mech. *tit. 1. art. 61.* dicitur: „Poſtquam ſententia interlocutoria: vel definitiva tranſierit in rem iudicatum, decernantur ſtatim ad Partium inſtantiam monitoriales ad partem infra tempus congruum à Judice præſigendum; „& monito non comparente, executoriales in forma mandenturq; executioni; monitiones autem ſufficiet facere Procuratoribus tradita copiâ ſententiæ.

VIII. Solet moribus noſtris Reus ad inopiam redactus ad verſus debitum, quod inſiciari nequit, moderatas & arbitrarias ſolvendi inducias petere & impetrare, ſub cautione intra certum tempus præſtanda: dicunturq; litteræ quibus hujusmodi induciæ indulgentur, vulgò *Brieven van*

atterminatie; latine *Reſcripta moratoria*, de quibus Ordinationes Curia Brab. *art. 480.* & ſeqq. ubi tamen *art. 484.* declaratur, quod nullæ litteræ induciarum, quomodocumq; decretæ, effectum ſortientur ad verſus ſententias, quæ tranſierunt in rem iudicatum. *En ſullen egheene brieven van reſſey te, hoe veel die gheintermeert zyn, effeet ſortieren tegen vonniſſen gegaeen in crachte van ghevooyſe dinghen.*

IX. Exacto tempore quod hodie arbitrio Judicis, vel ex Ordinationum præſcripto condemnatis ad ſatisfaciendum iudicatum indulgetur, executionem aggreditur Magiſtratus qui ſententiam tulit, à quo litteræ executoriales petuntur, & conceduntur.

X. Et quidem ad exequendam rem iudicatum, in Superioribus tribunalibus mandata executoria decernuntur, quibus Apparitores committuntur ad exequendam ſententiam iis aſſixam: In inferioribus verò tribunalibus ſententia tantum ſcriptis mandata executoria traditur, ut executioni mandetur, non ulterius reſcripto Judicis, uti reſert Simon Van Leeuwen in *Conſforenſi parte 2. lib. 1. c. 3. n. 7. & 8.* Caterum oportet in his attendere ſingulorum tribunalium Ordinationes & ſtylum.

XI. In exequendo ſolent Magiſtratus uti Apparitorum miniſterio; qui idecirco & Executoris dicti fuerunt. Et in *L. 8. Cod. De Execut. rei judicatio* ſcribitur, „Executorum eum ſolum eſſe manifeſtum eſt, qui poſt ſententiam inter Partes audita omni & diſcuſſa lite prolatam, rei iudicatæ vigorem ad effectum videtur adducere.

XII. Executionem ſententiarum fieri per Apparitores in Curia Eccleſiaſtica Belgicis manifeſtum ex quotidiana Praxi, & conſtat ex earum Ordinationibus diciturq; *tit. 9. art. 13.* „quod ſi pecuniâ, aut aliis donis corrupti executionem diſſimile deprehenſi fuerint, debitum & expenſas ſolvent, & ulterius poenâ perjurii & concuſſionis (citra aliquam veniæ ſpem) ultra officii privationem, & inhabilitatem ipſo facto incurrendam, pleſcentur.

XIII. Magiſtratus ſæculares ſimiliter per Apparitores ſententias exequantur, uti & praxiſ & ſingularum Curiarum Ordinationes evincunt; multaq; præſcribunt, quæ in exequendis ſententiis, ab Apparitoribus obſervanda ſunt; mandaturque *art. 587.* Ordinat. Curia Brab. quod ſi quis ſe gerat ut appellantem ab executione alicujus Apparitoris exequentis ſententiam Curia, non propterea Apparitor ſuperſedeat ab executione; ſed in executione cepta perget, quoſq; de inhibitione aut prohibitione pateſcat per patentes litteras Concilii.

Huc conſonat *art. 65. tit. 11.* Ordinat. Curia Eccleſ. quo dicitur, „Executio ſententiæ nunquam retardabitur, vel omittetur, etiam ſi condemnatus allegaverit gratiam noſtram vel Vicariatûs, niſi illam realiter & inſcriptis in forma debita authentica exhibeat.

XIV. Si ſententiæ exequendæ Executor ſolus per ſe non ſufficiat, miniſtros pro qualitate cauſæ, & oppoſitionis, quæ timetur & prævidetur, ſecum aſſumere poteſt; ipſuſq; Magiſtratus auxilium implorare, aut interdum etiam manum militarem advocare; uti indicat *art. 637. Ordinat. Curia Brabantia.*

XV. Supponunt quoq; Ordinationes Curiar. Eccleſ. *tit. 9. art. 15.* quod Apparitores in executione ſententiæ requirere poſſint Magiſtratum laicum. Mandatur enim, ut ſi Magiſtratus laicus Apparitori auxilium præſtare recuſet, recuſationem hanc Apparitor fideliter Officiali referat.

XVI. Inſpecto jure communi forma exequendi ſerè hæc eſt: Si damnatus quis ſit rem certam reſtituere, præſtareve ea ipſi auferatur; etiam interdum; ſi opus eſt, manu militari. *L. RESTITUERE ff. De Rei vindicac.*

Si verò damnatus ſit quis pecuniam ſolvere, pignora capiuntur atq; diſtrahuntur, ut ex pretio Victori ſatis fiat. *L. 4. ff. De Senſ. & Re jud.*

Ordo autem executionis tunc iſt eſt juxta *L. A Divo Pio ff. eod.* ut primum res mobiles pignori capiuntur, deinde immobiles, poſtremo jura & nomina: ideo initium ſumitur à rebus mobilibus, quod earum quàm rerum ſoli promptior

minuſque damnoſa ſit diſtractio. Idcirco autem poſtremus locus tribuitur nominibus, quod in eis persequendis negotium habere oporteat, non tantum cum condemnato, ſed cum extraneis ejuſ debitoribus.

XVII. Ordinem hunc in executione rei iudicatæ non obſervari in Gallia teſtatur Bugnyonium *lib. 1. c. 141.* idq; abrogatum eſſe ait, ad obviandum fraudibus eorum, qui mobilia ſua occultabant; aſſeritque Le Maître in ſuo Tractatu *De Subſtationibus cap. 27.* omnino liberum eſſe inchoare ab immobilibus. Id tamen aliqui reſtringunt ad executionem ad verſus majorem. Mobilia enim minorum credant priùs capienda eſſe, priùſquam ad eorum mobilia deveniatur, ut aſſerit ibidem Bugnyonium.

XVIII. De Belgio teſtatur Zypæus loco ſupra citato, in executione ordinem mobiliũ, immobilium & nominum non ſervari. Et Gudelinus *De Jure noſtr. lib. 4. cap. 16. n. 8.* ait: „Mores & Sanctiones aliquorum tribunalium nullam hujusmodi ordinem habent rationem, executionem ordiri permittentes à rebus quibuſlibet, prout ea magis occurrunt, vel promptius ex iis iudicatum redigi poſſe Apparitori videtur.

XIX. Ordinationes Curia Brabantia *art. 641.* permittunt, ut condemnatus intra 12. dies à facta inſinuatione ſententiæ poſſit executori aſſignare mobilia, ut ſuper iis ſententiæ exequantur; ſi autem aſſignare intra illud tempus neglexerit, tunc Apparitori liberum erit exequi ſententiam ſuper bonis quibuſcumque ipſius condemnati, neglecto ordine à jure præſcripto.

Hic aliquam rationem ordinis à jure præſcripti haberi notat Chriſtinæus ad citatum locum Bugnyonii; ideoq; negat, ordinem juris ſcripti in Brabantia totaliter abrogatum; quamvis fateatur, aliquarum civitatum, ac ſignanter Lovanienſis, hunc ordinem in executione ſuarum ſententiarum totaliter abrogâſſe.

XX. Sunt inſuper nonnulla bona, quæ de jure executioni non ſunt ſubjecta, ut ſunt inſtrumenta ruſticorũ ad agriculturam neceſſaria; de quibus in *L. 7. & 8. Cod. Quæ res pignori obligari poſſunt.* & Authentica iſis ſubjecta; item proventus Eccleſiaſtici Clericorum, libri Scholarium & Advocatorum. Sed nec hæc in Gallia, uti nec apud nos in uſu ſunt, ſaltem quando alia bona deſunt; uti teſtatur Zypæus in *Not. Juris Belgici tit. De Execut. rei jud.* dicens: „Inſtrumenta etiã agricultorũ, ut nec pignori dari, ita neq; executioni ſubjici poterunt, quò minus colendæ telluri, ſationi & annonæ incommodaretur. Id hodie minus ſervatur: ſed tamen iis partitũ, dum alia bona reperiri poſſunt: quod & in Advocatis, Scholaribus & Eccleſiaſticis obtinet.” Hæc Zypæus.

XXI. Reſert Renatus Choppinus *L. 1. De Moribus Pariſorum tit. 1. n. 8.* privilegium Philippi IV. Regis Galliarum, quo caveatur, ſas non eſſe creditorum, Sacerdotum ſupelleſtilii, moventibuſq; aliis manum in jectæ publicæ. Verba privilegii ſunt: „Item volumus, quod ſi mandaverimus, bona alicujus Prælati vel Clerici Clericaliter viventis capi, ſeu ad manum noſtram poni, virtute mandati noſtri bona eorum mobilia non capiantur, ſaiſiantur, neque domus illorum diſcooperiantur.”

Meminit & ejuſdem privilegii *lib. 3. De S. Polit. tit. 2. n. 2.* notatq; conformiter ad illud privilegium iudicatum fuiſſe anno 1528. „ne Trecentis Eccleſiaſt. Canonici executione anno 1528. „ne Trecentis Eccleſiaſt. Canonici executione „bias agere pignorum captione cogentur. Quum enim Clericorum ſupelleſ (ait Choppinus) tunc pignori nequiret, vetante Philippi IV. Sanctione, iudicatum eſt illiſ, res mobiles Sacraſi Ordinis ne pro excubiis quidem eſſe pignoris jure capiendas.”

XXII. Verum poſteriori Edicto Aurelianenſi de an. 1560. *art. 28.* ſublata eſt hæc mobiliũ Sacerdotis prærogativa, reſtrictaque ad ornamenta deſtinata ad ſervitium Divinum, eorum libros, & veſtes ordinarias & neceſſarias. Verba articuli ſunt: *Toutes perſonnes Eccleſiaſtiques pourront eſtre indifferement executées en leurs meubles, ſauf les ornemens ſervans & deſtinez à l'Egliſe, leurs livres, veſtemens ordinaires & neceſſaires.* Id eſt: Quælibet perſonæ Eccleſiaſticæ pignora Van Eſpen *Jur. Eccl. P. III.*

gnoribus poterunt mulctari, ſalvis tamen ornamentis Eccleſiaſticis functionibus deſtinatis, libris eorum, veſtibuſque ordinariis & neceſſariis.

Prærogativa ſive immunitas ab executione quoad ſacram ſupelleſtilem renovata eſt curſus Edicto Bleſenſi anno 1579. *a. 57.* eadem immunitate indulta omnibus mobilibus in uſum neceſſarium & domeſticum, & eorum libris.

XXIII. Si bona ſufficientia non reperiantur, quibus iudicatio ſatisfiat, extremum remedium contra Judicatos eſt, ut in carcerem retrudantur. Humanior namque ſententia eſt, ut eò non confugiatur, quamdiu bona reperiantur, quæ capi diſtrahique poſſunt; eum nec pro debito Fiſci facile quis ſit conſciendus in vincula, ait Petrus Gudelinus *De Jure noſtr. lib. 4. cap. 16. num. 14.*

XXIV. Extat Conſtitutio Imperatorum in *L. 12. Cod. De Obligatiombus & Actionib.* „Ob æs alienum ſervire liberos, creditoribus, jura compelli non compatiuntur.” Conſonat *Novella Juſtiniani 134. §. QUA VERÒ.* Senſus Legis eſt, quod qui ſolvendo non ſunt, ſuis creditoribus ſervire non cogantur. Neminem enim ingenuorum Lex ea facere vult, quæ ſunt ſervilia.

XXV. Hinc concludunt nonnulli interpretes, hoc jure, pro civili debito neminem manu inſectâ capi poſſe, niſi aliud expreſſe ſit conventum. Ita Dioſius Gothofredus in notis ad citatam Legem. Videtur & in eum ſenſum Legem illam accepiſſe Auctor Decretalis relatæ in *Cap. 2. De Pignorb.* ubi dicitur: „Lex habet ut homo liber pro debito non teneatur, et ſi res deſuerit quæ poſſint pro debito addici.”

XXVI. Exiſtimat tamen Gudelinus loco citato *n. 15.* ſimplicem carceris cuſtodiam his Legibus ſublata non fuiſſe: Et enim (ait) uſum quidem carceris adhuc retinemus, ſed ultra ad verſus iudicatos non progredimur.

Hic conſonat *art. 658. Ordinat. Curia Brab.* quo caveatur, Executorum non poſſe apprehendere condemnatum, ſi is offerat bona ſufficientia iudicato, aut Executori conſtat bona condemnati eſſe ſufficientia. Sed ſi Condemnatus ſit in defectu offerendi, nec Executori conſtat de bonis ſuper quibus executio fieri queat, tunc poterit Executor apprehendere Condemnatum, eumque carceri mancipare, & ibidem retinere quoſq; iudicatio ſatisfecerit; modo tamen Victor id petat, & pro expenſis reſpondeat, eaſque ferre velit. Tenor articuli eſt: *Dat egheen Executeurs nye crachte van eenighe ſententie oft executien op ſententie en ſullen moghen apprehenderen den ghecondemneerden in ſynen perſoon. ſoo verre hy bevuyft (met allen den beſcheede daer toe dienende onder boboorelycke expurgatie van eede) oft den Executeur blycke van eenighe haefelycke oft erfſelycke goeden gheoenech zynde om d'executie te doene: maer naer dien den ghecondemneerde in gebreke vware, verſocht zynde van den Executeur van eenighe goeden daermen d'executie aen mochte doene, te bevuyſen, ende niet en bleke van eenighe goeden daer aen de voorſz. executie ſoude gedaen moghen worden, ſoo ſullen de vorſz. Executeurs moghen apprehenderen den perſoon van den ghecondemneerden, ende den ſelven ghevanghen ſetten ende houden tot dat hy den vonniſſe voldæen heeft, ende dit alſoo verre de ghene die t'vonniſſe ghevonne heeft, dat verſoecke, ende voor die koſten ſtrecke, ende die verlegghen wylt. Id eſt: Quod nulli executori vi alicujus ſententiæ aut ſententiæ executionis ſas erit condemnatum perſonaliter apprehendere, ſi probet (indiciis quibuſlibet eò pertinentibus interpolitâ juramenti debita expurgatione) aut Executori conſtat, bona ejuſ ſeu mobilia ſeu mobilia executioni ſufficere. Sin verò condemnatus deficeret, rogatuſq; ab Executeore bona quæpiam pignoraſanda deſignare, nec conſtaret de bonis quæ pignorationi ſubjici poſſent, tum liberum erit executoribus prædictis perſonam condemnati apprehendere & incarcerare, & donec ſententiæ fecerit ſatis, detinere, idque ſi is qui litem obtinuit hoc requirit, de expenſis caveat, eaſque velit perſolvere.*

XXVII. Vide plura de hac incarceratione apud Chriſtinæum in notis ad Bugnyonium *l. 1. c. 16.* & ibi citatos; qui & ibidem notat, tam de moribus Gallia, quàm Belgia, mul-

heres etiam carceri mancipari contra Constitutionem Just-
niani in Novella 143. quod & Zypæus monet in Notit. Juris
Belg. De Executione rei jud. n. 3. "Sed rariùs (ait) ob de-
bita pecuniaria, nisi fortè pœnalia, aut fiscalia."

XXVIII. Rectè autem monet Bugnyonius loco citato n. 8.
quacumq; de causa mulieres ergastulo mancipentur, debe-
ant ita teneri, ubi vitis non pateat aditus, conservandæ mu-
liebris pudicitie ergo: additq; Gudelinus l. 5. De Jure No-
viss. c. 14. n. 1. rationem quandam sexûs haberi debere, saltè
eatenus, ut quemadmodû anteriori L. 3. Cod. de Custodia Reo-
rum cautum fuit, mulieres in carceribus à viris separentur.

XXIX. In Gallia præcitato a. 57. Edicti Blesensis decla-
ratum est, quòd executio contra Ecclesiasticos constitutos
in Ordine sacro non possit fieri per incarcerationem perso-
narum; cujus privilegii meminit Choppinus lib. 3. De S. Po-
lit. tit. 2. v. 2. "Nam ut viro Senatorio ultimum supplicium
carcerem existabat Syllanus ille apud Plutarchum in
Cicerone; ita Ecclesiæ Presbyteris (ait Choppinus) gra-
vior est vinculorum coëctio, & in sacra capita pœnalis
carcer toti Ordini probrosior, quo sævus creditor ob civile
debiti aris negotium multatatos velit infantes."

XXX. Aliquando tamen judicatum fuisse, rectè incarceratû
fuisse Presbyterum ob debitum civile, eò quòd in fraudè &
ad eluendum creditorem Presbyter factus esset; restituitq;
Executori exequenti sua mobilia, ibidem refert Choppin.

XXXI. Ulterius omnibus debitoribus tribuit beneficium
effugiendi carceris cessio bonorum. Ex consideratione enim
inductum est hoc remedium extraordinarium cessionis bo-
norum per legè Juliam in L. 4. Cod. qui bonis cedere possunt.

Per hanc cessionem bona omnia creditoribus cessa, li-
centia iis est ea distrahendi, ut ex eorum pretio, quatenus
fieri potest, singulis satisfiat, dicta L. 4.

XXXII. Cessio hæc de jure Civili solâ professione, & vivâ
voce sine ulla speciali solemnitate, aut judicis venia peragi
potest: nam dixit Theodos. Imper. ut refertur in L. 6. Cod.
eod. "In omni cessione bonorum ex qualibet causa facien-
da, scrupulositate priorum legum explosâ, professio sola
querenda est." Deinde addit §. 1. "Idem dixit, in o-
mni cessione sufficit voluntatis solâ professio."

XXXIII. Verùm cum hæc facilis cedendi libertas multis
daret anam fraudandi creditores, in Gallia sancitum fuit E-
dicto Ludov. XII. c. 70. ut nemo nisi præsens, & in judicio,
discinctusq; ac nuda cervice cedat bonis; quod & in Belgio
observati mandati Edictû Caroli V. an. 1541. 20. Octob. &
publicatum in Concilio Flandriæ 8. Nov. ejusdem anni;
extatq; parte 1. Edicti Flandriæ lib. 3. Rubr. 1. verba Edicti
sunt: Seront tenuz requirir l'intherement de leurs lettres de-
schaints, & à teste nue, en personne, & non par Procureur. Id est:
Debeantq; litterarum suarû approbationem, discincti, &
aperto capite; nec per Procuratorè, sed personaliter rogare.

XXXIV. Insuper eodem Edictò cavetur, ut qui litteras
impetrarunt ad cessionè faciendam, eas in judicio offerant
unâ cum synopsi jurata omnium bonorû. Ac insuper quòd
si cedens ulteriora bona acquirat, ea mox ad commodum
creditorum consignare debebit; tantummodò sibi retento
unico lecto, & quæ eò pertinent, unoq; ex quolibet suppel-
lectilium genere, ut vasa ænea aut stannû retinere non pos-
sint: nisi ista fecerint, beneficio cessionis excidant. Verba
Edicti sunt: Que tous impetrans de cession, seront tenuz de
presenter leurs lettres en jugement endedens le mois de l'im-
petration: avec l'estat de tous leurs biens. & iceulx abandon-
ner à leurs creditours, sans en retenir la maniance. Et affir-
mer ledict estat par serment: requirir l'intherement de
leurs lettres deschaintz & à teste nue, en personne & non par
procureur. Id est: quòd omnes, qui cessionis beneficium im-
petraverint, debeant litteras suas in judicio exhibere intra-
mensè ab impetratione, simulq; bonorum omnium suo-
rum statum, eaq; dimittere creditoribus, nec administratio-
ne eorum sibi reservatâ, dictumq; statum juramento confir-
mabunt, litterarumq; suarû approbationè, discincti & aper-
to capite, non per Procuratorè, sed personaliter rogabunt.

Que lesdictz impetrans de cession, aquerans autres biens,

seront tenuz les consigner au profit de leurs creditours, Et ne
pourront retenir qu'un lect avec sa synopsie: & de chascune par-
tie de meuble, une. Pour ven qu'ilz ne puissent avoir ny eschan-
ge, ny vasselle, ny autre meuble de valeur. Et ce qu'ilz auront d'
avantage, seront à chascune fois tenuz de consigner au pro-
fit de leurs creditours: à peine de perdre l'effect de leurs
lettres de cession. Id est: Quòd dicti cessionis beneficium
impetrantes, aliaque bona acquirentes, ea emolumento
creditorum cedere debent, unumque dumtaxat lectum
cum adjunctis retinere ipsis licebit, unicamque ex qualibet
specie suppellectilem, modò non sit stannea, neque argentea,
aut alicujus pretii. Simul atque vero amplius horum quid-
quam habuerint, creditorum emolumento cedere debe-
bunt, aliàs litterarum suarum beneficio excidant.

XXXV. Idem penè præscribitur a. 477. Ordinarij Curie
Brabant. additurque, quòd qui litteras cessionis impetrare
vult, debeat jubere citare omnes suos creditores, eosq; ex
scripto designare; nec non per inventarium omnia sua debita
& credita ac bona, cum oneribus illis impositis; itemque
causam debiti, quibus actis: Supplicanti annuetur provisio
continens factam declarationem; ipsiq; creditores citabun-
tur, & copiam dictarum litterarum accipere poterunt; &
die præfixa, tenebuntur Supplicans comparere in persona, &
ulterius procedere conformiter ad Edictum de an. 1541.
supra citatum. Articulus ita habet: Alle de ghene, die in on-
sen Rade brieven van cession sulken willen obtineren van
saeken, die daer behooren, sulken gebonden zyn te doen daghen
heure Creditours, ende de selve over te gheven in gheschref-
te, en by inventaris alle heure schulden, vveder schulden en-
de goeden die sy hebben, metten lasten daer op staende, ende
die saecken, daer nyt die schulds gesproken sal zyn, ende dit
gedaen zijnde sal ben provisie verleent worden innehou-
dende i'voorschreven verclaren, ende sulken die Creditours
ghedaecht worden, ende copie hebben vande voors. brie-
ven, indyen sy die beghieren, ende ten daghe dienende sul-
ken d'impetranten schuldich zyn in persoon te compareren,
ende voorts procederen achtervolghende onse ordonantien
van den jare eenenveertich. Id est: Quicumq; litteras ces-
sionis impetrare cupient, à Consilio nostro in causis eò re-
ferendis: tenebuntur creditores suos citare, itque scripto &
in forma indicis designare, quantum aliis debeant, & ipsis
vicissim debeatur, bonaque sua omnia cum oneribus, qui-
bus obstringuntur, resque illas, ob quas æs alienum contra-
xerint: quo peracto concedetur ipsis rescriptum continens
prædictam declarationem, citabunturq; creditores, quibus
dictarum litterarum exemplar, si id cupiant, tradetur. Ob-
ligabunturq; impetrantes personaliter comparere, & ulte-
rius procedere juxta statuta nostra anni quadagesimi primi

XXXVI. Hæc quæ tum hoc articulo, tum præcitato Edi-
cto statuuntur ac decernuntur quoad ipsam cessionis effe-
ctum, nimirum quòd cessio bonorum liberet quidem debi-
torè à carcere, non autè ab obligatione, conformia sunt juri
comuni, juxta L. 1. Cod. eod. ubi expressè dicitur: "Qui bo-
nis cesserint, nisi solidum creditor acceperit, non sunt
liberati. In eo enim tantummodò hoc beneficium eis
prodest, ne judicati detrahantur in carcerem."

XXXVII. Si ergo postmodum alia rursus bona acqui-
rant, ea rursus creditoribus addicenda sunt, etiam de jure
communij; modò tamen modicum non sit. Nec enim frau-
dandus est quotidianis alimentis, ut ait L. 6. ff. De Cessione
bonorum. Quid autem sit modicum, judicis est æstimate.
Cum autem hæc retineantur in præjudicium creditorum,
indubie sat parcus debet esse judex in hac æstimatione; ipsi-
que debitoribus modicus esse contenti; quemadmodum &
citatum Edictum Caroli V. satis indicat. Ut autem effe-
ctus istos consequantur cedentes, oportet infortunio quod-
dam bonis suis sint lapsi, aut in debita inciderint: in his
enim solis locum habet commiseratio, hæc huic beneficio
originem dedit; eisque solis convenit ratio expressa in §.
fin. Instit. De Actionib.

XXXVIII. Hinc decoctori minimè competit hoc bene-
ficium; cum non sit dignus commiseratione, qui sua torpi-
ta-

tudine causa vit sibi inopiam. Cujus ordinis etiam sunt, bo-
na sua in fraudem creditorum dissipantes, vel alienantes.
Similiter qui dolose cum creditoribus suis versati sunt, ut
potè scientes se solvendo non esse. His adde eos, qui spe &
animo cedendi contraxerunt; uti de his aliisque notavit
Henricus Zoëfius ad titulum Digestorum De Cessione bo-
norum num. 11.

XXXIX. Contra hujusmodi decoctores, & dolosos cre-
ditorum defraudatores, nec non abusus sub pallio hujus be-
neficii cessionis bonorum committi solitos, plura eaque a-
cerbissima extant Principum nostrorum Edicta, quorum
summaria refertur Zypæus in Notitia Juris Belg. tit. de Cessio-
ne bonorum, & Antonius Anselmo in Codice Belgico, verbo
Banckerottiers; declaratq; inter alia Carolus V. Edictò de 7.
Oct. 1531. extatque parte 1. Edicti Flandriæ lib. 3. Rub. 1.
"ut qui foro cedunt, & per fraudem ab aliis auferunt pecu-
niam, merces, nomina, habeantur, prout eos Imperator
declarat, pro furibus manifestis, eorumque occultatores,
& receptores fraudis conscii, nisi eos officiarum manife-
stent; & qui in rebus eorum fraudulenter versantur, aut
eum fugi vis negotiantur, ut socii, aut aliter creditores
eorum se simulant, aut fraudibus eorum quomodocumq;
opem ferunt, omnes omnium locorum immunitatibus
priventur, extrahi possint, & convicti publicè puniantur,
sine conniventia, ad exemplum, bona sequestrentur ad
conservationem juris omnium creditorum."

XL. Nonnullis ad evitandum carcerem cessio bonorum
necessaria non est, eò quòd speciali privilegio seu beneficio
competentiæ ipsis cautum sit; cujus effectus est, quòd is, cui
competit, excuti non possit, ultra quàm facere potest. Qua-
les de jure sunt parentes, patronus, socius, & maritus con-
ventus ad restitutionem dotis; donator respectu donatarij,
de quibus §. 37. & §. 38. Instit. De Actionib.

XLI. Idem privilegium datum apparet Clerico in Cap. 3.
De Solutionibus, ubi casus proponitur, quòd Odoardus
Clericus conventus esset à suis creditoribus coram Officia-
li Archidiaconi Remensis super quibusdam debitis, ipseq;
Officialis in eum recognoscentem hujusmodi debita, sed
propter rerum inopiam solvere non valentem excom-
municacionis sententiam promulgasset. De hac sententia Officia-
lis ab Odoardo interpellatus Pontifex, mandavit Officiali:
"Quatenus si consiterit, quòd prædictus Odoardus in to-

tum vel pro parte non possit solvere debita supradicta,
sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis, re-
ceptâ priùs ab eo idoneâ cautione, ut si ad pinguiorem
fortunam devenierit, debita dicta persolvat."

Ex hac Decretali communiter concludunt Canonistæ,
Clericis datum esse beneficium competentie, uti videti po-
test apud Fagnanum ad hanc Decretalem; qui & ibidem ex-
aminat, quæ requirantur, ut Clericus hoc beneficio com-
petentiæ uti queat: probatque nu. 58. de jure non requiri,
ut Clericus ad obtinendum hoc beneficium priùs cedat bo-
nis: quamvis fateatur, nonnullos ex antiquis Canonistis
contrarium jam pridem sustinuisse.

XLII. Et hæc opinio in Gallia jam pridem recepta videtur;
nam notat Molinæus ad hanc Decretalem, verbo: SENTEN-
TIAM IPSAM SINE DIFFICULTATE: Hoc non solet servari in
Gallia, nisi bonis cedant. Testaturque Bugnyonius De Legi-
bus abrogatis lib. 1. c. 12. Arresto Parisiensi decisum esse an.
1529. in bonis non contractis aut acquisitis pro Ecclesia,
Clericos non gaudere privilegio, sed bonis cedere teneri.

XLIII. Quidquid sit de hac praxi Gallicâ, illud certum est,
quòd Clericus ad inopiam redactus vi hujus privilegij non
liberetur ab obligatione satisfaciendi suis creditoribus, si ad
meliorem fortunam pervenerit, uti evidens est ex ipso Cap.
Odoardus; sed tantum liberatur interim, dum satisfacere
nequit, ab excommunicatione, tamen bonis non cedat,
quemadmodum laici bonis cedentes, beneficio cessionis,
liberantur à carcere.

XLIV. Sicuti enim in tribunalibus sæcularibus extremû &
extraordinarium remedium adversus condemnatos est in-
carceratio, utpote quæ decernenda non est, nisi ubi aliter e-
xecutio sententiæ haberi nequit; ita in tribunalibus Eccle-
siasticis extremum remediû est, ut condemnati non satisfac-
ientes sententiis, anathemate aliisque censuris feriuntur;
quo similiter utendû non esse, nisi omnibus aliis deficienti-
bus, declaravit Synodus Trid. Sess. 25. cap. 3. De Reformat.

Huic Decreto consonant Ordinationes Curiarum Eccl.
Provinciae Mechlin. 11. a. 67. quo statuitur: "Contra con-
tumaces & solvere nolentes sententiæ omnes mandabun-
tur executioni, cum invocatione (quatenus opus est)
auxilij brachij sæcularis. Ad censuras autem non facile
procedetur." De hac moderatione in procedendo per
censuras latius agetur infra titulo De Censuris.

TITULUS X. De Appellationibus & Recusationibus.

CAPUT I.

De Frequentia Appellationum in Curia Ecclesiasticis.

- 1 Primis sæculis admodum rara erant provocaciones à de-
cisionibus Episcoporum.
- 2 Excommunicatio lata ab uno Episcopo, servanda erat ab
omnibus.
- 3 Permisserunt tamen Patres Nicæni, sententiam Episcopi
subinde examinari.
- 4 Eum in finem bis in anno habenda erat Synodus Pro-
vincialis.
- 5 Examensententia lata ab Episcopo in Synodo Provincia-
li erat species aliqua appellationis.
- 6 Circa sæculum IX caperunt multiplicari appellationes, &
gradus appellationum stabiliri.
- 7 Instituitæ appellationes à quibuscumque judicibus Eccle-
siasticis immediatè ad Pontificem.
- 8 Capiti Curia Romana admittere appellationes à quibus-
cumque sententiis etiam merè interlocutoris: quin &
causarum evocaciones.
- 9 Querela S. Bernardi de hac appellationum frequentia,
Van Espen Jur. Eccl. P. III.

- earum facili admisione.
- 10 De usdem queritur Hildebertus Archiepiscopus Turo-
nensis. (nam)
 - 11 Metropolitanani & Prælati imitati sunt Curiam Roma-
nam.
 - 12 Quomodo labentibus facultis continuo extensa sit appel-
landi libertas.
 - 13 Querela Joannis Gropperi in Concilio Tridentino contra
abusum appellationum.
 - 14 Plures abusus in hac appellationum materiam irrepssi-
se satis agnovit Synodus.
 - 15 Decretum Synodi restringens facultatem appellandi.
 - 16 Synodus vetans appellationem ab interlocutoria non ha-
bente vim definitivæ; vel à gravamine per definiti-
vam reparabili, concordat Juri Civili.
 - 17 Quod decrevit Synodus Tridentina, erat cautum per re-
gulam 36. Cancellaria.
 - 18 Similiter & in Concordatis Gallicanis.
 - 19 Quid circa hanc restrictionem decreverit S. Congrega-
tio sub Clemente VIII.
 - 20 Non obstante hac restrictione adhuc nimia est appella-
tionum frequentia in Curia Ecclesiasticis.
 - 21 Admittitur appellatio ab omni gravamine per definiti-
vam non reparabili.